



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.


For more information see:


<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.










VIAE PER ANGLIAM FERRO
STRATÆ

CARMEN LATINUM

IN THEATRO SHELDONIANO RECITATUM

DIE JUNII XV MDCCCXLI





OXONII

FRANCISCUS MACPHERSON

1841

*200 . . . 25 . . .
Bod. Lib. Bod. 80 14*





VIÆ PER ANGLIAM FERRO STRATÆ.

“ Πέμπουσιν δ' αὐτὸν καὶ σεβίζουσιν μέγα
κελευθοποιοὶ παῖδες Ἥφαιστου, χθόνα
ἀνήμερον τρέντες ἡμερωμένην.”

ÆSCHYLUS. EUMENIDES. 13.



U NDE vias tereti inventum consternere
ferro

Quæ ratio, tantos quæ vis humana
labores

Extuderit, penitusque solum exæ-
quaverit omne,

Gratum opus Angliacas properantibus ire per urbes,
Expedio. Sedenim pugnacia fædere pacto
Jam coeunt elementa, et inhærent, inque plicantur ;
Ignis, aqua, et Matris proles durissima Terræ
Ferri vena rigens ; quâ non mortalibus ægris
Nascitur in gremio præsentius ubere quicquam
Aut Martem miscere, aut segnem invertere glebam.

Ergo age, continuos currus quæ mira potestas,
Dicendum, cieat ; qualique instructa coactu*

* Lucret. lib. ii. 273.





Mobilitas facilis detur, cum sueta viarum
Terrarum domini jam fastidire ; novoque
Improbus urget amor volitare per avia cursu.

Gens antiqua hominum, cum jam commercia vitæ
Conjuxisse novæ, et duros deponere mores
Cæperat, immissis tum primùm aptare frementes
Quadrupedes didicit plaustris, animosque feroces
Arte Prometheâ validis submittere frenis.
Continuo intendit vires Equus—Ipse labori
Sufficit, et saltu gestit percurrere campi
Æquora. Nondum etenim montanas findere moles
Inventum est. Ithacæ † non intremuere rotarum
Ardua saxa sono : vix tesqua Alpina feroces
‡ Hannibalis turmas et monstra insueta tulerunt.

Spes nova jam vitæ tandem potioris onusto
Accedebat equo. Substrato quippe viai
Æquore, inoffensos celerat rota pronior orbis.

Post ubi jam dederat variam Natura Creatrix
Materiem, tandemque novos rationibus aptis
Sive hominum ingenium, seu Fors, ostenderat usus
Vim facilem Vapor ascivit, rerumque Magistris
Cessit in imperium mortalibus. Irritus olim
Omnia pervolitans penetrabat, nullius in se

† Homer. Odys. iv. 605.





Nec virtutis adhuc, nec tantæ conscius iræ.
Tum quoque nobilium decessit gratia equorum.
Quippe immane furens horrendâ machina radit
Mole viam, et vastis singultibus æthera plangit.
Non alios gemitus Siculos sævisse per agros,
Crediderim, superimpositum cum pectore montem
Quassaret, piceam evolvens caligine flammam
Enceladus. Frustra in Divos ille improbus arma
Torserat, attonitoque viam affectabat Olympo.

Ferrea currenti facies, laterumque rigentes
Juncturæ, ferro stridunt immane catenæ,
Suppositæque rotæ, et radiorum adamantinus ordo.

Scilicet ex imis effossa metalla cavernis
Ars valida emollit; neque segni passa veterno
Torpere, humanos jampridem cogit in usus
Fingendo, exercetque frequens, operumque ministros
Vindicat: illa suæ, Naturam exuta priorem,
Jura timent dominæ, dextramque haud larda sequuntur.

Continuo costis magni supposta lebetis
Ingruit ignis edax, flammarumque inde potestas
* Innumeris dispersa canalibus insinuat.
Deinde calescentis paulatim corpus aquai
Exsultare intus: mox improba flamma retextos

* The invention of Mr. Seguin of Annonay, A. D. 1828.





Expandit latices. Magis et magis aucta Vaporis
Crescit vis, totumque volumine complet ahenum ;—
Eruptura foras, ni flumina plena Cylindrus
Accipiens alio avortat, bipatentis hianti
Quà Thalami portæ atque adytis immittat apertis.
Quo fit uti tumidus flammâ Vapor insinuet se
Oppositumque repellat onus, retinacula Vectis
Ferrea rejiciens. Ita vis admota rotarum
† Succutit impulsos orbes ; avidumque viarum
Intorquet currum exsultans, et territat auras.
Continuo, motu exacto, pulsata retrorsum
Introitum alterius Portaï Valva recludit ;
Quare illam alterno Vapor implet flumine partem,
Impulsosque repellit ineluctabilis orbes.
Quippe retro labens ‡ caulæ spiramen in auras
Valva aperit ; vapor inde foras elabitur omnis
Pulsato Latere expressus ; Thalamusque vacefit.
Non aliâ ratione humano in corpore pectus
Quando animam ducit, plenum turgere videmus :
Deinde refert ex ore foras, vacuumque repente
Ætheris externi compressum pondere cessat.
Quid, quod jure suo partes impune feratur
Machina per cunctas, infrenique incita cursu

† Lucret. vi. 550.

‡ “ Blast-pipe.”—*Lucret.* ii. 950—iv. 624.





More Giganteo det strages undique vastas,
Ni ratione novâ campo via plana subacto
Exæquata fuat ; ligneoque reposta cubili §
Bina super tereti sternatur linea ferro ;
Atque eat instructis æqualiter intervallis.

Præterea (in tereti ferro quia volvitur orbis)
Ne rota divorsum lævis delapsa vagetur,
Interior || canthi, cristæ surgentis ad instar,
Erigitur gyrus, superatque extentior orbem
Externum, et rectâ currus regione coerces.

Quod superest, mirere licet, quâ denique lege
Machina tardari aut cursu subsistere discat :
Quippe moratur enim lentis complexibus aer
Quicquid provehitur. Sed et illum corpora magno
Impete pulsa valent superare, et longiùs ire.
Curandum est igitur nimio ne flumine Valvæ
Succedens Thalamum citiùs Vapor impleat æquo,
Utque alio incassum fluat interceptus in auras.
Orbe pares adeo, similique foramine, binæ
Bracteolæ, instantis custodia fixa Vaporis,
Prætereuntem annem claustris moderantur opertis ;
Deducuntque alio. Patuere in parte supremâ
Spiramenta. Fugit stridens Vapor illicet omnis

§ " Sleeper."

|| " Crest or flange." Persius v. 71.





Liber, et externis avet immiscerier auris.

His animadversis liquidò licet inde videre,
(In lævi ferro lævis quia vertitur orbis,)
Cur nequeat currûs grave pondus in ardua clivi
Adversi erigier, cur substernenda viaï
Planities solidæ, decursibus apta rotarum.
Attamen id primùm clarè noscamus oportet :
Longè aliâ motûs agitur ratione, Vaporis
Viribus exsiliens, aliâ per sueta viarum
Fertur equis, noto aurigæ sub verbere, currus :
Scilicet externo volat hic rota concita motu :
Ast illic simul ac subjectis axibus instet
Vis prima a tergo, pronosque agitaverit orbis,
Ipse etiam imposito prorumpit pondere currus.

Quid vetat hic igitur, circum licet axis agatur,
(Majus enim jam pondus obest) quin lævis eundem
Usque locum rota servet iners, onerique recuset
Sufficere, incassumque legat revolubilis orbis ?
Ergo hærere viæ, seseque attollere clivi
Adversum in spatium luctanti pondere nescit :
Deficit extemplo, et conatibus irrita cedit.

Jamque adeo rapimur quâ pridem vasta locorum
Solus oberrabat ducens armenta colonus ;
Aut qua ferventes spissis cultoribus urbes
Transit iter. Juvat ire locis ubi munera Divi





Artificis mira, et varios spectemus honores ;
Strataque defosso passim surgentia campo
Strata super, propriâque vices servantia lege.
Scilicet interdum variæ domus intima Terræ
Detegitur, faucesque patent, pallentia Ditis
Regna olim, barathrique ingens nigrescit hiatus.

“ Miratur nemus insuetum,” longo ordine euntes
Desertæque plagæ currus ; tremere alta repente
Visa juga ; eque sinu singultans edere monstrum
Cum gemitu montes : adyta intima Naturæ
Effossâ patuere viâ. Stupet ossa colonus
Antiquum genus et prolem testata Gigantum.

Ingruit interea subitis horrenda tenebris
Nox insueta viæ. Non sic quum Luna malignas
Conditur in nubes cedens pluralibus Hædis
Lux abiit penitus cœlo. Tum frigore membra
Horrescunt : nam tota graves expirat odores
Et pigro glomerat nebulas humore caverna.
Quinetiam rapidos ubi lampadis extulit ignes
Sol medio in cursu, et sudantes torruit artus,
Frigida vis miseros imis immissa medullis
Corripit, et pectus subrepat debile tussis.
Tum mentem subitâ attonitam caligine terror
Exagitat novus. Horribiles adversa fragores
Machina commiscet, tanquam se turbine vasto





Illisura—Fugá rapidum sed præterit agmen
Innocuum, et properat longè evanescere visu.

Nec minus interdum via fit, quà vallis amænæ
Fluminibus distincta patent ridentia prata.
Ac veluti tacitâ si quando nocte frequentes
Deludunt mentem species, neque vera sepultos
Sensus offendit, summotis rebus, imago :
Non secus ante oculos nullo simul ordine colles
Sylvarum decus induti, vallesque vicissim,
Dum veniunt, abiere. Citos clamore salutat
Turba viatorum currus : Ni fecerit, inter
Confusos rerum exciderit, velut umbra, tumultus.

Ecce viæ medio turbatis æquora ponti
Fluctibus insurgunt, frustra indignata superbos
Mortales, rerum dominos. Non talia quondam
Passa, ubi cum sævo conjurans Africus Euro
Ultum iret scelera, et vindex accenderet iram.
Ergo saxorum magnas attollere moles
Strenua turba hominum properat. Strepit æthere toto
Pila frequens illisa vadis, congestaque terræ
Pondera. Fervet opus. Nec longum tempus et alto
Aggere crevit iter, viresque laccessit aquarum.

Est ubi per lætos quondam messoribus agros
Collibus illudit formosè undantibus agger,
Et mole informi naturam fædat amænâ.





Hinc despectat agros, hinc subjectæ imminet urbi
Confertoque foro, hinc dubiâ vix aure viator
Percipit exortas confuso murmure voces.
Tantos dat strepitus, iterat tot machina plagas !
Diffugiunt per rura greges. Saltuque protervo
Exsultat, frontisque tumentes jactat honores
Nescio quid ludens vitulus. Miracula mater
Agnoscit, tenerosque metu circumspicit agnos
Balatu revocans : illos vigor urget, et ætas
Prona joco ; et pedibus certant prævertere currum.

Sæpe etiam pigro prælabens amne canalis
Instruit innumeris commercia ut ante carinis.
Nec minus interea fluvio delapsa secundo
Lenta ratis transmittit opes, cursuque silenti
Fungitur officio, patriæque tuetur honorem.

Scilicet et veniet tempus, quum nomine nostro
Omnis abundabit tellus. Tum siqua remotas
Gens colet extremo sedes in limite mundi,
Ingenium rude paulatim dediscet, et artes
Sentiet urbanas, proprioque nitescet honore.
Vere novo qualis liquido pede defluit herbam
Lympha inter teneram ; conspersis gramina gemmis
Læta micant, dulcemque bibunt e flumine vitam.

FREDERICUS FANSHAWE.

E. COLL. BALL.






LONDINI
IN ÆDIBUS CAROLI WHITTINGHAM



Vertical line on the left side of the page.

Vertical line on the right side of the page.







1

























Vertical line of text on the left side of the page.

